



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

30. Tres sagitt[a]e Jonathæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

SYMBOLUM 29.

Præparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, & intrabitis ad possidendam terram; quam Dominus Deus noster daturus est nobis. Ios. 1. S. Aug. serm. 106, de temp. aliàs tom. 10. fol. 108. præparate vobis cibaria ad diem tertium, quid est aliud dicere; nisi Trinitatis accipite Sacramentum, id est baptismum? &c.

Tertius Eois ubi sol emerferit undis,
 Iordanis populo trajiciendus erit.
 In nostrâ jam manna manu est, tunc ibimus, inquit
 (a) Nunniades, (b) reliquas ante parate dapes.
 Indicio Triadis trajecto flumine, tellus
 Nos manet emanans lacte, favoquè fluens.

(a) Id est Josue, qui fuit filius Nun. (b) manna non poterat servari in plures dies ut pat. Exod. 16. idcirco dicunt expositores, per cibaria intelligenda esse alia alimenta, quæ filij Israël invenerunt, aut emerunt in terris, per quas transibant. Ita Dionys. Carth. hoc loco.

SYMBOLUM 30.

Terni Viri, Ios. 18.

Eligite de singulis tribubus ternos Viros, ut mittam eos, & pergant, atquè circumueant terram.

Promissis tribubus [a] deerat sua portio regni,
 Ter geminos placuit sorte creare Viros.

Tres

(17)

Tres e quâquè tribu [b] mensi, data munera, signant
Munificam Triadis regna dedisse manum.

Alma Trias quot regna polo tibi danda supersunt?
Præmia sunt servis congrua danda tuis.

(a) 7. scilicet, que necdum acceperant possessiones suas, ut videre est vers. 2. (b) Viri in arte metiendi periti. Vide Dion. Carth. in Jos. 18.

SYMBOLUM 31.

Tres Vituli, & tres modij farinæ. 1. Reg. 1.

Et adduxit eum Secum, Scil. Anna Samuëlem postquam ab-
lactaverat, in Vitulis tribus, & tribus modijs farinæ, &
amphorâ Vini; & adduxit eum ad domum Domini. Habe-
tur pro Symbolo apud S. Aug. tom. 10. fol. 225. ubi dicit:
Ephi (de quo etiam agitur 1. Reg. 17.) trium modiorum
mensura est: & tribus mensuris mysterium intelligitur Tri-
nitatis.

SYMBOLUM 32.

Tres Sacerdotes pietate & religione celebres. Scil. Moyfes,
Aaron, Samuël, habetur apud D. Chryf. tom. 4.
pag. 618. Ubi sic habet.

Tres Patriarchæ sunt in honorem Trinitatis &c. Et
fi.